



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 2. Primæ Gregorii Epistolæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI. est, consentientibus Abbatibus & Monachis, populoque sæpissime festivo clamore lætitiã profitente. Quod ex Decreto Electionis in ejus vita inserto & titulo Epistolarum ipsius dispicimus. Gregorius VII. dici voluit, ut honorem haberet memoriæ Gregorii VI. cujus alumnus in juventute fuerat. Trigesimo Junii consecratus in S. Petri Cathedra annos undecim, menses decem & dies viginti sex sedit.

Baro. an.
1073.

Papeb. conat.

§. II.

Primæ Gregorii Epistolæ.

ep. I.

Gregorius Septimus altero statim post electionem die hanc rem Desiderium Abbatem montis Cassini edocuit, data epistola, cujus hæc sunt verba: *Dominus noster Papa Alexander mortuus est, cujus mors super me cecidit, & omnia viscera mea concussit. Nam ipso defuncto Romanus populus contra morem quietavit, & Ecclesiæ frena manibus nostris tanta concordia commisit, ut evidenter appareret, ex Dei misericordia hoc provenisse. Unde accepto aliorum consilio statuimus, ut post triduanum jejunium, post Litanias, & multorum orationem, elemosynis munitam, divino fultu auxilio, de electione Romani Pontificis quod melius videretur decerneremus. Sed subito cum Dominus Papa in Ecclesia Salvatoris*

vatoris sepulturae traderetur, ortus est ^{Sæculum XI.} magnus tumultus populi & fremitus, & ^{A.C.1073.} in me quasi vesani irruerunt, ita ut cum Propheta possim dicere: veni in altitudinem maris & tempestas demersit me. Quia ^{Psal. 68.} vero in lecto jacens valde fatigatus multa dictare nequeo, angustias meas enarrare supersedeo; sed te per omnipotentem Dominum rogo, ut fratres & filios, quos nutris, ad exorandum Deum pro me provocas, sicque eorum oratio, quæ me liberare debebat, ne incurrerem periculum, saltem in periculo positum tueatur. Tu autem ipse quantocius ad nos venire non prætermittas, qui quantum Romana Ecclesia te indigeat & in prudentia tua fiduciam habeat, non ignoras. Dominam Agnetem Imperatricem, & Rainaldum Episcopum Cumanum nostro nomine saluta, & obsecra, ut quantum erga nos dilectionis habeant, nunc ostendant. Agnes Imperatrix tunc sex mensibus in Monasterio Casinensi diversata illam Ecclesiam muneribus cumulavit. Rainaldum vero Episcopum arcanorum omnium conscium ^{Chron. Cass. l. III. c. 33.} apud se habebat. ^{Petr. Dam. Opusc. 56. c. 5.}

Similia de electione sua scripsit Gregorius Guiberto Archiepiscopo Ravenatensi, id solum adjiciens, quod inauditus, nec ulla ad deliberandum mora sibi data, vi adhibita Sacræ Sedi fuisset impositus. Tum petit a Guiberto, ut
Eccle-

Sæculum XI. Ecclesiam Romanam & se electum eius
A.C. 1073. Pastorem constanter amaret, *sicut enim*
 inquit, *ego te sincera charitate diligo, ita*
etiam similem dilectionem cum omnibus
effectibus suis a te exigo. Fac ut nuncios
nostris frequenter discurrentibus quid cir-
ca nos agatur sciamus, & mutuo fruamur
solatio. Sequentia ostendent, quam ma-
 le Guibertus responderit amicitiae Pon-
 tificis, qui etiam in alia epistola, se eun-
 dem magni habere, affirmat.

ep. 10. Die post electionem secundo Grego-
 rius nuncios misit ad Regem Henricum,
 in Bavaria degentem; nam Pascha Ra-
 tisbonæ, & Pentecostem die decima Maji
 Augustæ celebraverat. Per hos nunc-
 ios Gregorius Imperatori significabat,
 se Papam fuisse electum, rogabatque in-
 stantissime, ne consentiret; quippe se
 neutiquam, si in Dignitate Papali confir-
 maretur, manifesta crimina, quorum se-
 reum fecisset Imperator, impunita reli-
 cturum. (*)

Episcopi Germani & Longobardi,
 cum scirent, Hildebrandum ingenti zelo
 conservandi Disciplinam Ecclesiasticam
 flagrare, & formidarent, ne in ipsorum
 delicta summo rigore animadverteret,
 colla-

(*) Digna profecto singulari constantia & vi-
 gore Sacerdotali, quo S. Gregorius VII, emi-
 nit, comminatio!

collatis consiliis Regi auctores fuerunt, ut Gregorii electionem rescinderet, non servato competente ordine factam. Nisi enim principiis obstaret & anteverteret Gregorii molimina, neminem magis, quam Regem, neglecti consilii poenas illi ipsi, contra quem ei suaderent, esse daturum. Episcoporum, qui id exoptabant, præcipuus erat Gregorius Episcopus Vercellensis, Regis in Italia Cancellarius, quod dispicimus ex epistola Guilielmi Abbatis S. Arnulphi Metis ad Papam, ut ei Summi Pontificatus honorem gratularetur, data. Ergo Rex Eberhardum Comitem in Italiam celeriter proficisci jubet, & ex Optimatibus Romanorum quærere, cur contra morem se inconsulto Papam elegissent? atque etiam Papam ad abdicandam Dignitatem compelleret, nisi congrue hujus facti rationem redderet. Ubi Comes Romam pervenit, humanissime exceptus est a Papa, qui perceptis Regis mandatis ait: *Deum testor, quod hanc Dignitatem nunquam ambierim. Me Romani, me invito, elegerunt, vim inferentes; sed eo adducere me hætenus non potuerunt, ut ordinari me paterer, priusquam per Nuncios ad hoc negotium missos mihi constaret, quod Regi & Optimatibus Regni Teutonici electio probetur. Ideo Ordinationem huc usque distuli, eamque ulterius differam, donec quis-*

Sæculum XI,
A.C. 1073.

Contentius
Cæsar in
Electione
Papæ.

Analest. to.
2. p. 247.

Sæculum XI. *quisquam venerit, qui mihi Regis nomine*
A. C. 1073. *ipsius voluntatem aperiat.*

Hoc Responso accepto Rex contentus, illico Romam mittit Gregorium Vercellensem, ad confirmandam Regia auctoritate electionem, & Papæ consecrationi interfuturum. Quod sine mora peractum. Gregorius ordinatus est Presbyter in octava Pentecostes, & Episcopus consecratus in Festo S. Petri, scilicet altera die, Dominica, trigesima Junii. Id enim ex die Epistolis ipsius apposta discimus. Ex ista mensium duorum mora, cum ordinatio Gregorii dilata fuit, satis patet, nihil aliud quam responsum & mandata Regis fuisse expectata, etsi nullum aliud hujus rei suppeteret argumentum.

Nihilominus illo temporis spatio Gregorius complura maximi momenti Decreta edidit. Nam Elbulus Comes Rocceji in Campania, cum exercitu in Hispaniam profecturus, & arma Infidelibus illaturus, pacta cum Alexandro Papa inierat, ut quas terras sibi subjecisset, eas nomine S. Petri possidere posset, certis conditionibus, quas consentiente Hildebrando Archidiacono conscripserant. Nempe præsumebant Romani rem esse constantem, S. Petrum, scilicet Ecclesiam Romanam, olim Regnum Hispaniæ jure proprietatis possedisse, quamvis in nullo

S. Gregorius VII.

Scri-

Scriptore hujusmodi prærogativæ ve-
 stigia ante Gregorii VII. Epistolas depre-
 hendantur. Igitur Gregorius Comiti
 Roccejensi epistolam tradidit, ad omnes
 Nobiles & Equites, qui eum in hac expe-
 ditione Hispanica sequi vellent, directam,
 in qua hortatur, ut jura S. Petri salva
 conservent. Tum subjungit: *Si autem
 aliqui ex vobis seorsum a Comite Rocceji
 propriis copiis instructi eandem terram
 aliqua in parte intrare paraverint, decet,
 ut militiæ causam, quam justissimam sibi
 proponant, & jam nunc pie statuunt,
 quod, provinciis in potestatem suam veda-
 elis, eandem injuriam, ac Infideles Deum
 ignorantibus, qui eas hodie occupant, Sancto
 Petro facere nolint. Hoc enim neminem
 vestrum ignorare oportet, nos, nisi popu-
 los ad annuos census Sancto Petro per job-
 vendos compellere promittatis, potius, ne
 illo tendatis, vobis velimus interdicerere,
 quam pati, ut Ecclesia eandem improbita-
 tem in filiis, quam prius in hostibus susti-
 neat. Quamobrem Hugonem Cardinalem
 in partes illas misimus, in cujus ore man-
 data nostra plenius explicanda posuimus.*

Is erat Hugo Candidus, quem Papa
 in Franciam indeque in Hispaniam Co-
 mitis Roccejensis socium mittebat, ut
 pacta servari curaret, & Christianorum
 errata in illis regionibus emendaret.
 Quod ex epistola ad Giraldum Episco-
 pum

Hist. Eccles. Tom. XV.

O

pum

Sæculum XI.

A.C. 1073.

Lib. I. ep. 7.

l. IV. ep. ult.

ep. 7.

ep. 6.

Sæculum XI. A.C. 1073. pum Ostiensem & Reimbaldum Eccle-
siæ Romanæ Subdiaconum in Franciam

Legatos data discimus, quos Papa rogat, ut Hugonem Cardinalem & Hugonem Abbatem Cluniacensem in gratiam redire obsequiose compellerent, & ab eodem Abbate precibus impetrare niterentur, ut aliquos ex Monachis suis Cardinali Legato in Hispaniam proficiscenti socios jungeret.

ep. 9.

Cum Godefridus Gibbosus Dux Lotharingæ, datis ad Gregorium literis, laticitiam ob ejus promotionem ad S. Petri Cathedram professus fuisset, respondit Papa; hanc promotionem sibi interit doloris amaritudinem & tantas creare angustias, ut nisi oratione piorum hominum post Deum sustentaretur, curarum immensitati succumberet. *Quippe omnes, inquit, & præcipue, qui in Ecclesia Prælati sunt, eam magis perturbant quam defendere contendunt, & dum sui lucris aut gloriæ inbiant, omnibus quæ ad Bonum Religionis pertinent, se velut hostes opponunt. De Rege vero (nempe Henrico Rege Germaniæ) ut mentem nostram cognoscas, scias velim, quod nemo majore quam nos de ejus præsentem & futura gloria sollicitudine teneatur. Etenim hæc voluntas nostra, Regem, ut primum nobis oblata fuerit opportunitas, per Legatos nostros de his, quæ ad profectum Eccle-*

Ecclesie, & honorem Regie Dignitatis ipsius spectare arbitramur, paterno affectu admonere. Quod si nos audierit, non minus de ejus quam de nostra Salute gaudebimus. Sin vero, quod non optamus, nobis odium pro dilectione reddiderit, non commitemus, ut super nos veniat illa comminatio, qua dicitur: Maledictus homo, qui prohibet gladium suum a sanguine. Neque enim liberum nobis est cujuscunque mortalis gratiam Legi Divinae preponere. ()* Eodem stilo utitur de Henrico Rege loquens in epistola post aliquot exinde dies ad Beatricem Tusciae Comitissam, Godefridi Ducis Novercam data, adjicitque, paratum se, si opus fuerit, pro veritate sanguinem fundere.

Sæculum XI.
A.C. 1073.

Jerem. 48.
10.

ep. II.

§. III.

Schisma Mediolanense.

Inter hæc Ecclesia Mediolanensis schismate scindebatur Godefridi Castillonensis,

O 2

nensis,

(*) Meminerit Lector dictorum a Fleurio in præcedente Dissertatione §. XVII. Ceterum hic notare operæ pretium erit, quod illustrissimus Abbas Calmet de S. Gregorio VII. sentit, in Volum. VIII. Hist. Univers. p. 664. *Nemo dicat, Gregorium subito animi impetu abreptum egisse, quæ egit, aut ex arbitrio quodam in dies mutabili, sed ex principiis, quæ constantia & inconcussa bona fide credebatur.*